

Universitätsbibliothek Wuppertal

Renati Des-Cartes Principia Philosophiae

Descartes, René

Amstelodami, 1664

Auctoris de objectionibus quintis monitum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1384)

R E S P O N S I O N E S

De Objectionibus Quintis

M O N I T V M,

Versum ex Gallico.



*N*te primam harum Meditationum editionem, cupi eas non tantum à Sorbonicis Doctoribus expendi, sed etiam ab omnibus aliis qui vellent viris eruditis; ut ipsorum Objectiones, singulas suo ordine, cum meis Responſionibus ad calcem Meditationum ſubjiciendo, majorem ex hoc conflictu veritas lucem acciperet. Et licet ea quæ Quinto loco ad me fuerunt miſſa magni præceteris momenti eſſe non viderentur, & admodum forent proluxa ſuo tamen illas ordine, ne de Auſtore male mererer, excudendas curavi; cui etiam meo nomine ſpecimina impreſſionis, quæ Probationes vocant, legenda ſunt tradita, ne quid forte in iis quod pro ſuo non agroſceret, infereretur. Sed quia poſtea ingentem conſcripſit librum, in quo eadem Objectiones cum multis novis adverſus meas Reſponſiones Inſtantiiſ continentur, & ibi me illas luce donaviſſe conqueritur, quaſi id præter ipſius mentem factum fuiſſet, qui eas ad me in privata tantum meis inſtitutionis gratiam miſiſſet, non invitus deinceps voluntati ejus obſequar, & iſtud volumen iis exonerabo. Ideò cum audivi Ludovicum Elzevirium, induſtrium typographum, Meditationes meas unà cum aliis Objectionibus prælo ſuo iterum ſubjicere decreviſſe, rogavi ipſum ut Quintas objectiones omitteret. Ne tamen eas Lector deſideret, monitum illum hoc loco velim, me illas nuper una cum omnibus novis magni quo comprehenduntur libri Inſtantiiſ relegiſſe, eo animo ut inde ſingula capita quæ reſponſione indigere viderentur exciperem: ſed nullum me animadvertiſſe, cui illos qui Meditationem mearum mentem percipient, abſque ope meâ reſpondere facile non poſſe putem. Quod verò ad eos attinet qui de libris ex mole ſolum aut ex titulo judicant, me illorum approbationem non ambire. Quintarum igitur Objectionum, & mearum ad illas reſponſionem loco, ſatis mihi ſuperque erit ſequentem Epiſtolam ſubjicere.